



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

3. Excessus gravissimos &c. Contra Florentinos: anno 1376.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)



ANNO  
1375.

habentes, ad aliquem locum idoneum, communiter eligendum, ubi tui & memorati Regis Francorum Nuncii possint commodè convenire, sine cujuslibet moræ dispendio, destinare procurare, Tractatum pacis hujusmodi ad finem laudabilem, auxiliante Domino, perducturos; In hoc preces nostras taliter impleturus, quod ipse Rex Regum, qui extollit pacificos, & deprimit inquietos, tuæ Celsitudinis exaltet Solum, prosperitatem adaugeat, ac Regnum tuum in tranquillitate custodiat, Tibique salutis æternæ præmia largiatur, Nosque, qui Te sincerè diligimus, eandem Celsitudinem tuam dignis in Domino laudibus attollamus, ac universis Christi Fidelibus publicæ lætitiæ consolationem exultantibus animis præbere in Domino valeamus, Præfato siquidem Regi Francorum dirigimus similiter scripta nostra, ut idem non differat adimplere; quem nobis in hoc obtemperaturum verisimiliter opinamur.

Datum Avinion. Id. Novembris, Pontificatus nostri anno primo.

II.  
Rymer  
Tom. ---

Bulla de Compositione inter Regem & Papam per Nuncios ex utraque parte concordata: anno 1375.

GREGORIUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

**E**Ximia devotionis sinceritas, quam carissimus in Christo Filius noster Eduardus, Rex Angliæ illustris, ad Nos & Romanam Ecclesiam gerere comprobatur, sablimis quoque ejus Status eminentia, nec non etiam specialis benevolentia plenitudo, quam ad dilectos Filios, Clerum Angliæ, infra nostra recumbentes præcordia, gerimus, nos inducunt, ut ipsos, Regem atque Clerum, & illos præsertim ex hujusmodi Clero, qui eidem Regi specialis Studio devotionis & fidelitatis adherent, favoribus & gratis, illis maximè, quæ conscientia pacem & animarum salutem respiciunt, muniamus. Cùm itaque, sicut accepimus, in Regno Angliæ sint quamplures Clerici, qui ex præsentatione seu collatione dicti Regis, prout ad se pertinere dicebat, Dignitates, Personatus, Officia, Canonicatus, & Præbendas, & alia Beneficia Ecclesiastica, cum cura & sine cura, infra Regnum dictum pacificè possident de præfenti, Nos ne dicti Clerici, super hujusmodi Dignitatibus, Personatibus, Officiis, Canonicatibus, & Præbendis, ac Beneficiis ipsis, possint imposterum molestari, providere volentes; Prædicta omnia, Dignitates, Personatus, Officia, Canonicatus & Præbendas, & alia Beneficia, præmissis Clericis, sic ea, ut præfertur, obtinentibus, dum tamen tempore, quo illa fuerint affecti, idonei & habiles essent ad ea obtinenda, etiam si sint dispositioni Apostolicæ quomodolibet reservata, & etiam inter aliquos ex hujusmodi pacificè possidentibus, & eorum Adversarios jam defunctos, fuerit aliàs in Palatio Apostolico litigatum, Auctoritate Apostolicâ confirmamus,

eos si propter illicitam detentionem eorumdem inhabilitatem incurrerant, habitando. Et eos dictorum Dignitatum, Personatum, Officiorum, Canonicatum, & Præbendarum, & aliorum Beneficiorum possessione pacifica, quam nunc obtinent, gaudere volumus & etiam ordinamus. Intendentes eorum singulis, si à Nobis petierint, super illis speciales confirmationes seu provisiones novas concedere, prout eis utilius fuerit, & magis videbitur expedire, non obstantibus quibuscunque Constitutionibus Apostolicis, nec non Statutis & Consuetudinibus Ecclesiarum & Locorum, in quibus hujusmodi Beneficia, seu aliqua ex eis consistunt, contrariis, Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quacunque alia firmitate vallatis, etiam si de illis, & totis eorum tenoribus, esset præsentibus specialis, & expressa mentio facienda. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostræ Confirmationis, Habilitationis, Voluntatis, & Ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Data apud Villam Novam, Avinionensis Diocesis, Calendas Septembris, Pontificatus nostri anno quinto.

Contra Florentinos: anno 1376.

GREGORIUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, dilecto Filio &c. Salutem & Apostolicam Benedictionem.*

**E**Xcessus gravissimos, quos iniquitatis Alumnus, Cives & Populus Civitatis Florentinae, tanquam in reprobum sensum dati, à septem mensibus citra, contra Deum, & Romanam, & nonnullas alias Ecclesias, & libertatem Ecclesiasticam commiserunt, prout non desisterunt committere diebus præteritis, pro certa parte, cùm eos omnes nimis longum ac tædiosum foret scribere & audire, Nobilitati tuæ, ut de illis præfata compateretur Ecclesiae, ac præstaret auxilium & favorem, per alias nostras litteras duximus referendos. Postmodum autem, cum ipsos excessus nequiremus, absque debiti appositione Remedii præterire, certos graves processus exigente justitia contra eosdem Cives & Populum, eisque quomodolibet dantes auxilium, consilium, vel favorem, fecimus, licet, eorum promerente malicia, dignè potuissimus facere graviores, quos in Romana Curia, communi omnium Patria, & in diversis Regnis & Terris fidelium publicari mandavimus, prout assidue publicantur. Cumque Processus ipsos ad Regnum Angliæ, in quo quamplures ex eisdem Civibus immorari dicuntur, pro hujusmodi publicatione ibidem faciendâ mittamus ad præfens, eandem Nobilitatem rogamus obnixè, quantum ob reverentiam Dei, & dictæ Ecclesiae, & nostram, in publicatione & executione dictorum processuum, tuum favorem velis efficaciter impertire.

Datum Avini. n. decimo quinto Calendas Junii, Pontificatus nostri anno sexto.

ANNO  
1376.III.  
Ex Arch.  
Angliæ  
Rymer  
Tom. 7.  
pag. 102.